



sipauit. Ibi imperium, quale non mortalium ambitio, sed naturæ benignitas format, atque impulsus in libertatem hominibus ingenitus suggerit, contemplatus est, expertusque didicit, haut facile ingeniis erectis iugum famulatumque imponi; aut feris illos legibus subiici, qui pro immunitate, iuribus ac priuilegiis suis vota vndique emittunt, pro illis preces fundunt, omnesque, qui ciuium facultati viuendi, ceu in Anglia moris est, insidiantur, tanquam sacrilegos persequuntur: nobilium, sacerdotum, purpuratorum Comitum, populi voce concursuque in hoc valide conspirantibus. Quibus aliisque visis ac primariis regni viris salutatis ad Gallos dirigere iter statuit, apud quos in extrema parendi necessitate spectatur libertas, comitas, alacritas, ciuilitas inque subditorum licentia nihilominus ius imperandi eiusque imperii efficientia viuax. Sed fecit belli formido vndique circumstrepens atque intutas in Franciam excursus, vt, mutato consilio, transmissio mari, Belgium repeteret & peragrata Austrasia, præcipuisque vrbibus aulisque obitis, Alpes superaret, Italiam intraret, incolarum prouidentiam, & in quibusdam versutiem miratus, Venetiis Senatorum grauissimos vultus ac sapientem in ciuilibus ordinem intuitus, Florentiæ arte elaborata, mercaturam, rara, ac mutila veteris magnificentiæ signa, tectorum substructionumque rudera, æruginosam Corinthiorum supellectilem signatosque varii generis numos, bibliothecas curioso oculo obseruans, maria, flumina, lacus, montes, fines imperii, ciuium studia, propensiones conferens, idioma addiscens inque maximorum Principum societate ab Alpibus redux, per hæreditarias augustissimi IMPERATORIS terras, Viennam  
 d cupi-